

DE AEQVATIONIBVS.

diam, Delphinetam, Caietam, Laudam, Suessam, Placentiam, Argentoratum, Vienam Austriae, Francofordiam ad Moenum, Spyram, Halam Sueuorum, Haylprunnam, Vuimpinam, Landshutam, Frisingam, Mospachium, Veldkirchium, Arelatum, Lysbonam.

Scorpius habet Matagonitidam, Commagenam, Capadociam, Syriam, Iudream, Idumæam, Mauritiam, Getuliam, Nordbegiam, Suetiam occidentalem, Cataloniam, Bauariam superiorem, Foroiulium, Trapezontium, Algeram, Aquileiam, Paduam, Vrbinum, Pistorinum, Camerium, Brixiam, Taruifium, Massanam, Gedanum, Lipsiam secundum aliquos, Monacum, Aychistadium, Viennam Allobrogum, Valentiam Hispaniae.

Sagittarius habet Arabiam fœlicem, Tyrrheniam, Celticam, Hispaniam, Portugaliam, Vngariam, Dalmatiam, Morauiam, Sclauoniam, Myfnam, Volaterram, Mutinam, Coloniam Agrippinam, Stutgardiam, Rotenburgum ad Tuberim, Iudenburgum, Budam, Caschouiam, Narbonam, Auinionem, Toletum, Noribergam secundum Ioannem Vuernerum.

Capricornus habet Indiam, Ariamam, Gedrosiam, Macedoniam, Illyriden, Thraciam, Bussiam, Albaniam, Bulgariam, Græciam, Lituaniam, Masliuianam, Saxoniam, Thuringiam, Hessiam, Marcham styriæ, Brandenburgum, Anchonam, Fuentiam, Tortonam, Foroiulium, Augustam Vindelicorum, Constantiam, Iuliacum, Cleuoniam, Bergam, Gandavum, Mechliniam, Vilnam, Oxonium, Orchades insulas.

Aquarius habet Oxianam, Sogdianam, Arabiam petræam, Azaniam, Aethiopiam, Sarmatiam, Tartariam magnam, Daniam, Russiam rubeam, Amaxobiam, Suetiæ meridionalem partem, Vualachiam, Pedemontium, Vuestphaliæ, Moselanos, Alkeyram, Monferrat, Pisaurum, Tridentum, Hamburgam, Bremam, Saltzburgum, Ingolostadium, partem Bauariæ.

Pisces habent Phazaniam, Nazomonitidem, Garamantes, Lydiam, Ciliciam, Pamphiliam, Calabriam, Nordmanniam, Parentium, Ratisbonam, Vuormaciæ, Rothomagum, Compostellam, Hyspalim, Roanam, Sybiliam.

DE AEQVATIONIBVS DOMORVM COELI.



V M mihi uniuersum hoc doctrinæ genus de iudicij nativitatium pro mea uirili diligenter ac fideliter explicandum sum pserim, non alienum ab officio & instituto meo esse putaui, si hoc loco breuiter studiosos admonerem, primum de varijs opinionibus ac rationibus constituentium thematum coelestium à diversis, ac maxime neotericis autoribus inuentis ac traditis: Deinde etiam de modo Ptolemæi, ac ueterum Astronomorum, quem tam in erigendis figuris coelestibus, quam in obseruationibus ac præceptis huius diuinæ artis secuti sunt ingeniosissimi ac præstantissimi rerum coelestium inquisitores, à quorum autoritate & regulis, nisi nouam prorsus uellemus effingere artem (quod profecto non unius esset seculi, nedum hominis opus) nobis non est discedendum. Nolo autem hac in parte cuiquam obstatre meum iudicium quo minus ipse uel fingat, uel retineat qualescumq; uel suas, uel aliorum opiniones: Tantum hoc admonitum uelim lectorem, ista præcepta quæ in hoc opus concessimus, sicut à ueteribus desumpta sunt, ita ad æquationem duodecim domorum cœli, priscis illis artificibus usurpatam, referenda esse.

Primum